



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Quanta sit tranquillitas animæ religiosæ. Cap. xvj.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

sensus comprimere, affectus cohibere, propria desideria negare, corpus atterere, & crucis mortificationem, sine intermissione deferre? Auger tandem magnus operandi conatus. Sed ubi maior, quam in religiosa vita reperitur? in qua ex assuetudine bene operandi, quotidie augetur, & crescit. Anima, quae ex tot cautis, & tā praecipuis, cumulos bonarum actionum multiplicat, magna erit merito, neque in communi pusillitate tepidorum persistet. Nondum certe apparuit, quid erimus; sed cum Christus apparuerit, iustus agonotheta, omnibus iuxta suos labores praemia decernens, tunc similes ei erimus. Quia non tantum in numero amicorum fidelium, sicut communes iusti, sed inter charissimos Dei filios computabimur, qui Christi, id est, fratris maioris vestigia sequuti, eius exornamur insignibus. Nunc tempus laboris est, & ut inquit Aggeus, nec dum semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malograna tum, & lignum oliuae non floruit. Quia nec charitatis ad Deum, nec deuotionis interna, nec concordia cum fratribus, nec misericordia ad proximos, merces apparet. Sed ex die ista Dominus benedicit ut magnis in magna operantibus, & magna patientibus, in futura vita, magna praemia retribuatur. Quicumque ergo in sanctum religiosorum certum admittis fuisti, & tua siue multa, siue pauca dimisisti, modò affectum habendi reliqueris, ad hanc magnitudinem virium, quae in saeculi contemptu conspicitur, vocatus es, & ad hanc granditatem meritorum, quae ex tot bonis operibus nascitur, es etiam inuitatus, si tamen opere exhibeas, quod statu praefers. Quòd si tibi adhuc, o anima religiosa, sub habitu humilitatis constituta, hunc animum inesse non conspicis, quo vniuersa mundi ornamenta, & oblectamenta contempnas, & sine vlla intermissione perfectionis operibus vaces, nihil te in via perfectionis noueris profecisse. Gemo igitur in conspectu Dei tui, plora, instanter pete, in hanc amplitudinem tui status dignam admitti; enterere rerum labentium vilitatem agnoscere, & earum despectionem comparare, ut & tu, sicut & tui sodales, & commilitones, merearis audire, Quoniam multiplicata es, & grandis effecta es.]

1. Ioan. 3. 2.

Agge. 2. 20.

Ezec. 16. 7.

Quanta sit tranquillitas animae religiosa.

CAPVT XVI.

**N**E M O est qui non pacem amet, requiem exoptat, tranquillitatem desideret. Est enim interna tranquillitas non minima pars felicitatis. Ac proinde, sicut naturalis est status felicitis cupiditas, ita suapte natura ducimur ad appetendam requiem animi, mentisque tranquillitatem, sed non omnes eam inquirunt, ubi quaerenda est. Quaritur in rebus exterioribus, in expletione appetitus, ac propriae voluntatis: cum tamen ipsa non in his, sed in vera mortificatione, & in conclavi proprii cordis consistat. Haec enim appetituum cohibitio nos multis curis liberat, & ad vera & numquam peritura bona mentem attollit. Quae, qui appetitui, & prauae concupiscentiae seruit, citra dubium insipienter amittit. Quare animae concupiscentiae seruienti, merito apud Isaiam dicitur, Ut descendat, & sedeat in terra, quia non est solium filiae Chaldaeorum. Huic (ut inquit Gregorius) apte per increpationem dicitur diuina voce, descende, in alto quippe humanus animus stat, quando superuenit retributionibus inhiat, sed ab hoc statu descendit cum turpiter victus sese defluentibus mundi desiderijs subiicit. Cui bene mox additur, sede in

Isaia 47. 1.

Greg.

**A** puluere. Descendens enim, in puluere residet, quia caelestia deserens, terrenis cogitationibus aspersus, in infimis vilescit. Proprii autem cordis introitus hominem clamoribus rerum mundanarum eripit, & in quamdam ineffabilem pacem perducit. Nam regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax. Hoc autem regnum Dei, in quo regnat pax, intranos est. Hanc pacem proprii cordis, qui numquam expertus est, eius absentiam non extimescit. Quid enim doleat natus caecus, & qui videndi facultatem aliis inesse penitus ignorat, quonia caecus natus est, & colores non percipit, quos, nec in rerum natura esse quidem agnoscit? Qui vero aliquando pacem est adeptus, nihili magis dolet, quam eam amittere, & a tranquillitate mentis exturbari. Hoc summam calamitatem putat, ab intimo cordis in externas distentiones contumeliose eici, & ab ore sponsi illam tremendam vocem audire, Egredere, & abi. Quae enim anima (ait Bernardus) semel a Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & intimis suis Dei praesentiam suspirare, & querere faciem eius semper, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilius poenaliusve ducat, quam post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias [carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.]

Hunc autem ingressum cordis, ubi inuenitur pax, o anima, religio sancta ex ipso mundi contemptu, ac bene perfecteque operandi consuetudine, abunde suppeditat. Vnde postquam contemnendo omnia, grandis effecta es, subiungit Dominus per eundem prophetam, Et ingressa es. Qui aliquam domum, vel urbem odia habent, statim, ut possunt, eam deserunt, & aliam commodiorem, & sibi magis gratam habitationem inquirunt, quam inuenientes, cum magno gaudio occupant, & cum exultatione frequentant. Sic anima, saeculi iniquitatem fugiens, & commorationem abominans, statim aliam domum quarit pacificam, in qua tranquille habitet, & placide vitam traducat. Inuenit autem cor suam domum utique quietis, & pacis, illud que ingreditur, & ab omni strepitu curarum aliena, cum Rege, & Domino suo Christo, secus pedes eius manet, secum. Ibi tamquam sedula apis in alucrio suo fauos dulcissimarum cogitationum fingit, & sicut formica diligens, congregat in horreum suum grana sanctorum desideriorum, quibus se ipsam reficiet, vitamque spiritualem sustentabit. Hic iucundus ingressus religiosus promissus est, cum auerit vocem Domini, sibi per Ieremiam dicentis, Conuertimini filij reuertentes, quia ego vni vester, & assumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Illi namque sunt filij reuertentes, qui a peccatorum, & vitiorum feciditate, in quam inipientes abierant, in domum Domini, id est, in spiritualem vitam, sapientes reuertuntur. hic autem reditus, ut pretiosior habeatur, nec omnium est, nec propria virtute perficitur. Opus est Dei, qui vocauit paucos, comparatione multorum, & assumpsit vnum de ciuitate hac, & duos de cognatione illa, prout sibi placuit, ut introduceret eos in Sion, hoc est, in secteta cordis proprii, ubi accipiunt pastores iuxta cor Dei, in quibus caelestes illustrationes, & afflatus intelligo, qui pascunt eos scientia, & doctrina. haec cordis habitatio iucundissima est, in qua homo magna quiete, & tranquillitate perfruitur. Quid enim tranquillius caelo? sed corda iustorum caeli quidam sunt, quorum Deus ipse incola, & habitator est, & qui in proprio corde per sanctas cogitationes habitat, comes, & cohabitator est Dei, & commune cum eo domicilium

Rom. 14. 17.

Cam. 1. 8. Bern. ser. 35. in ca.

Ezec. 16. 7.

Ierem. 3. 14.

Ibidem 14

& ha

Aug. ser.  
de red. p.  
Greg. ho.  
38. in E-  
uang.

Orig. ho.  
21. in Lu-  
cam.

Psal. 80.  
11.

Richard. in  
Psal. 80.

& habitationem possidet. Corda fidelium (inquit Augustinus) celum sunt: quia in celos quotidie eriguntur. Et Gregorius, ex eo quod Paulus vocat Christum, Dei virtutem & sapientiam, & ex eo quod Scriptura dicit, celum esse Dei sedem, ac animam iusti, sedem sapientiam, optime colligit, hanc animam celum esse quod Dei gloriam enarrat, & opera eius annuntiat: celum quidem est cor iusti, & magnitudine imensum, quia & ipsos corporeos celos, & omnia visibilia, & inuisibilia, praeterita, praesentia, & futura, & quae in Dei cadunt potestatem, capit. In qua sententiam optime dixit Origenes: Magni est cor hominis, & spatiosum, & capax, si tamen mundum fuerit. Vis eius magnitudinem latitudinemque cognoscere? Vide quantum diuinorum sensuum magnitudinem capiat. Ipse, ait, dedit mihi eorum, quae sunt, notitiam, rationem mundi scire, & opera clementorum, principium & finem, & medietatem saeculorum, temporum varietates, & translationem mensium, annorum circulos, & siderum sedes, naturas animalium, & furores bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, diuersitates arborum, & vim radicum. Vides non paruum esse cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine eius intellige, quae tantam scientiam capit veritatis, & paulo post. Non est paruum, ut dixi, cor hominis, quod potest tanta capere. Si autem non est paruum tanta capiens, consequenter in illo via Domini praeparatur, & recta sit semita, ut ambulet in illa sermo Dei, atque sapientia. Quomodo ergo illud corpus, quod omnia alia corpora continet, celum dicimus, ita cor humanum, quod cogitatione vniuersa visibilia, & inuisibilia comprehendit, celum vocare possumus, si tamen munditia & pulchritudine virtutis non careat. Quare eius habitatio non potest homini non esse expectabilis, ac praeter omnibus aliis desiderabilis.

Quia igitur tam amplum est cor hominis, Deus ipse, tamquam eximium beneficium se illud impleturum promittit, cum ait, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: Dilata os tuum, & implebo illud. Hoc enim os, nihil aliud est quam cor nostrum, quod non fructu panis, sed Dei tantum possessione satiatur. Vnde Richardus de sancto Viatore. Quid est hoc os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os, omnes Aegypti deliciae implere non possunt, quia omnes diuitiae mundi, carnali desiderio satisfacere nequeunt. Vide quam parua portio humani corporis, & quam angustum foramen sit os carnis. Quis non videat quam paruum est, quod vna panis buccella impleri potest: Quod igitur est vna buccella ad os carnis, hoc est totus mundus, imò multo minus, ad os cordis, nam vna buccella corporeum os facile replet, sed totus mundus desiderium cordis implere non valet. O quam digna, & quam nobilis anima nostrae habitatio, in qua caelestia lustramus, terrestria contemnimus, cuiusque rei pretium & valorem cernimus, eorum, quae mundus amat, exilitatem cognoscimus. In hoc domicilio tamquam in arca illius Patriarchae mundi relictoris inclusi, minime saeculi procellas extimescimus, aut tempestates sentimus. Nec nobis cura est, quis regimini clauum teneat, quis honorum, & dignitatum culmen obtineat, quis per hominum ora, fama volitet, quis diuitias, & rerum omnium affluentiam possideat. Si impius laudetur, despicimus, si literatus honoretur, ridemus; si diues, & potens quærat, pro nihilo ducimus. Si inglorij, & despecti intra cellam nostrae ambitum relinquamus occasio ingentis gaudij nobis est, quoniam curas,

A) abiciamus, sollicitudinibus exoneramur, & commo- ditatem maioris profectus, & diuinæ contemplationis opportunitatem accipimus. Sani, & validi, laboramus; aegroti & imbecilles, lati sumus; si meror, & tristitia irruat, facile eam manu discretionis propellimus, & omne, quod turbat, abigimus. Huic habitationi, quia similis caelo est, terrae mutabilitates non appropriant. Ibi, nec atrae nubes tristitiae cogitur, nec sollicitudinum pluuiae generantur; nec venti inanum affectionum spirant, nec pruina, & grando, atque gelida nubes praearum cogitationum decidunt. Nec ibi homo frigore tepiditatis obrigescit, nec concupiscentiae ardore dissoluitur, nec aeris inclementia frangitur, quia si se ipsum intra secreta cordis abscondat, & vniuersis mundi rebus inuam occludat, & omnibus, quae Deus non sunt, aut ad Deum non referuntur, valeat; & tempore sereno perfruitur; & tamquam in caelo postus, ab his mutationibus passionum suarum perstat securus.

Hoc autem tam pacatum ac quietum domicilium, si alicuius est, proprium est sanæ animae religiosa; quae velut columba ex arca dimissa, cum non inuenisset in saeculo, ubi requiesceret, pes eius, reuerfa est ad Dominum in arcam cordis sui, ubi locum quietis & pacis inter munda animalia, & ab aquis diluuij seruata, reperiet. Quae nupta est (inquit Apostolus) cogitat, quae sunt mundi; quo modo placeat viro; at mulier innupta, & virgo, cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Animam quidem saecularem mulieri nuptae, religiosam vero, innuptae, & virgini comparauerim, quoniam illa, licet velit se Domino penitus consecrare, non potest tamen curam sui corporis, & suorum, aut filiorum, aut seruatorum deserere; neque sollicitudinem cibi & potus, & indumentorum relinquere, atque aded sollicita est, quae sunt mundi, quomodo placeat viro corpori suo, & diuisa est. Non valet semper secreta sui cordis tenere, in quo est pax, sed ad exteriora, quae bellis sunt plena, exire compellitur. At ista omni cura cibi, & potus, & aliarum necessitatum corporalium abiecta, & in suos prelatos, ac superiores iactata, soli Domino vacat, & in conclaui proprii cordis sedes, quotidianis profectibus adaugefcit.

Multi quidem sunt, quae nos ignaros ex ista domo deducunt, atque ex pacatissima cordis habitatione deturbant. Primò hoc faciunt res, quas oculis videmus, aut alio corporeo sensu percipimus. Secundò, res, quas cogitamus, & licet nunquam viderimus, sensu tamen interiori confingimus. Tertio, bona, aut vera, aut apparentia, minime nobis necessaria, quae concupiscentia effrenata impellente, volumus, & tamquam pulchra, aut iucunda, aut pretiosa concupiscimus. Quarto, bona naturae necessaria, quorum praesidio ad fragilitatem nostram subleuandam indigemus. Quintò, ipsa mentis nostrae instabilitas, qua nihil leuius, nihil mobilius, nihil inconstantius inuenitur. Quae externis sensibus subiuncta sunt, nos sua pulchritudine inescant, quae imaginatione conficta, sui ostensione decipiunt, quae cupimus, nos extra nos ipsos trahunt, quae opus habemus, curis & sollicitudinibus pungunt, & tandem instabilitas metis se ipsam à quiete & tranquillitate diuellit. His omnibus hostibus religiosa vita se constanter opponit, & ne, aut seducamur, aut quasi inuiti ex proprio corde deiciamur, aut volentes exeamus, praestantissimum remedium offert.

Nam rebus visibilibus, & aliis sensibus percepti

Bern. Epi-  
stola 111.  
ad Sophiam  
virginem.

Basil. ep.  
2. in illud  
attido 11-  
bi.

Iacob. 1.  
27.

Laurent.  
Iust. in li-  
bro vitæ.  
tract. pau-  
per. c. 2.

Matth. 6.  
31.

bilibus, per religiosam; disciplinam ianuas sensuum  
occludit, ne nos sua importunitate perturbent. Est  
namque disciplina (auctore Bernardo,) quæ ceruicem  
submitit, ponit spercilia, componit vul-  
tum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur  
linguam, gulam frænâ, iram sedat, format inces-  
sum. ] Cum verò res ista disciplinæ mysterio for-  
ris manent, mentem à domicilio cordis dimo-  
uere non valent. Monstris cogitatione fictis per as-  
siduam bonorum operum occupationem frænâ  
iniicit, ne ridicula ostentatione vanitatis inquie-  
tent. Nam si, vt scitè dixit Basilius, otiosæ proflus,  
& cessantis animæ propria est ægritudo, cernere  
insomnia vigili corpore. ] Econtra, negotiosæ, &  
laborantis animæ erit, illa sanitas, quæ nos inceptis  
phantasmatibus liberet, & puris ac sanctis cogita-  
tionibus imbuat. At religiosa vita minutatim tem-  
pus dimetiens, & nec momentum sine boni operis  
aut externi, aut interni cura, relinquens, modum  
vanis cogitationibus ponit, & hanc effrânatam fa-  
cultatem, quam ferè nullus perfectè domare po-  
test, mirabiliter in officio continet. Superfluis re-  
rum mundanarum desideriis per abiectionem om-  
nium rerum, curationem affert. Nemo quippe eius  
amore ac desiderio tenetur, quod abiecit, & tam-  
quam si nullius valoris esset, sine vlla difficultate  
contemptit. Quòd si hæc est religio munda, & im-  
maculata, miseris subuenire, & se immaculatum  
custodire ab hoc sæculo, manifestum est, quoniam  
religiosa vita, si vera, & munda sit, docebit om-  
nia sæculi desideria relinquere; quibus adhuc in  
corde residentibus, nullus se illibatum à sæculo, in-  
contaminatumque custodit. Certè magnâ inquie-  
tadini & distractioni patere ostium retento rerum  
sæcularium amore, Laurentius Iustinianus hac fe-  
rè oratione patefacit, Magna tranquillitas cordis  
est nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si  
ad terrena concupiscentia, & ad diuitias cumulan-  
das cor inhiat, tranquillus & quietus esse homo  
nullatenus potest, quia aut non adepta concupis-  
cit, vt habeat, aut acquisita metuit ne amittat.  
Et dum in aduersis sperat prospera, in prosperis  
formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdam  
fluctibus voluitur, ac per modos varios aduersan-  
tium rerum volubilitate versatur. ] Ea ergo vita, quæ  
illum amorem, & desiderium abiecit, occasionem  
egrediendi ex proprio corde ab inanum rerum cõ-  
cupiscentia natam funditus tollit.

Sollicitudini quoque rerum necessarium religio-  
sa vita per superiorum prouidentiam benignè  
prouidet, qui subditos tamquam filios diligentes,  
& omnia necessaria, quæ ad victum, & vestitum,  
& reliquas corporis indigentias pertinent, frugali-  
ter administrantes, subditos huiuscemodi cura exi-  
munt, & ab egressu cordis ex ea proueniente de-  
fendant. Sciunt enim religiosi dictum esse à Do-  
mino, his qui propter ipsum cuncta reliquerant,  
Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus,  
aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim  
Pater vester, quia his omnibus indigeris. ] Se au-  
tem ipsos in numero istorum pauperum collocan-  
tes, curas istas victus, & indumenti deponunt, &  
quieti quarunt regnum Dei, & iustitiam eius, spe-  
rantes quòd Prælatorum manibus hæc omnia à  
Domino adiciantur illis. ] Tandem instabilitati mè-  
tis, non tam religio alio adminiculo, quàm se ipsa  
resistit. Status enim cum sit, stabilitatem quam-  
dam, atque immobilitatem fortitur, ac corpus sta-  
bile reddens, & vni loco addiscens, & in cella mane-  
re faciens, ipsi animo cogitationum & desideriorum

A stabilitatem impertit. Qui corporis veluti magiste-  
rio edoctus, iam ex conferuo suo discit, quo pacto  
debeat, sicut corpus in cella ita & ipse intra se ipsum  
permanere, vbi pax est, & nulla externa, quæ bellis  
perstrepunt, quæritare.

Ecce quàm bene religiosa vita nos intra cordis  
claustra contineat, omnia tribuens quæ mansio-  
nem istam facilem & iucundam reddant, & vni-  
uersa remouens quæ nos ad sæculi inquietudinem  
exire compellant. Impleturque spiritualiter in no-  
bis, quod de Israëlitis dictum est; Habitabatque  
Iuda & Israël absque timore vlllo, vnusquisque sub  
vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee. ]  
Nos enim, qui non verbis tantum, sed factis, &  
non quibusque factis, sed magnis & egregiis ope-  
ribus, quæ in abdicatione rerum omnium elucet,  
ex ipsa religiosa vocatione Deum confiteri cogi-  
mur, & in Deum oculos cogitationis intendimus,  
habitamus non tantum in cenobio ab omni stre-  
pitu sæculari remoti, sed etiam (quod melius &  
pulchrius est) in domo cordis nostri absque timo-  
re vlllo, qui nos omnino conturbet, & vnusquis-  
que sanè sub vite sua, & sub ficu sua. Si enim vi-  
tis significat populum religiosum, ac pium, cuius  
laus ex fructu, & honor ex diuinæ tutelæ præsi-  
dio contingit; & ficus illos designat qui ad cæ-  
lestem Hierosolymam pertinent, sunt enim fico-  
rum arbores, quas Deus plantauit in vinea sua:  
quid erit religiosus sub vite & ficu habitare, nisi  
C sodaliam suorum (qui amici Dei sunt) oratione  
atque exemplo muniri? Habent igitur monasti-  
cam vitam colentes pro ratione status sui, adiu-  
menta maxima, vt in proprio cor ingrediantur,  
& in eo cum maxima iucunditate commo-  
rentur.

Ad hæc ergo domum cordis tui, amplissimam  
quidem, & pacatissimam, ô anima mea, vocata es,  
cum sæculo despecto, itatum religiosum arripuisti.  
Ad hanc domum venisti lassâ de via, cum mundi  
curas & sollicitudines deseruisti, quærens qui te ho-  
spitio reciperet, & tribus panibus valde necessa-  
riis, veritatis, charitatis, & fortitudinis; fatiga-  
tam famelicamque reficeret. Sic enim mysticè in-  
terpretatur Bernardus parabolam hominis venien-  
tis de via, atque apud amicum, sed mendicum, di-  
uertentis, qui, vt hospitem exciperet ab alio ami-  
co prædiuite tres panes commodatò postulat.  
Ego (inquit) amicum venientem ad me non alium  
intelligo, quàm me ipsum. Nemo quippe charior  
mihî, nemo germanior est. Ad me ergo de via ve-  
nit amicus, cum transitoria deserens ad cor redeo,  
sicut scriptum est: Redite præuaricantes ad cor. ]  
Deinde tunc verè sibi quisque amicus est cum de  
via redit, quoniam, qui diligit iniquitatem, odit  
animam suam. ] A die itaque conuersionis meæ de  
via venit amicus. Venit de regione longinquâ, vbi  
pascere porcos, & ipsorum siliquis insatiabiliter e-  
surire solebat. Venit fame laborans, confectus in-  
edia attenuatus ieiunio. ] Itaque tu es, ô anima, quæ  
ad te ipsam venisti, tu es inuitata, atque inuitans.  
Si pauper, & mendica es, neque habes, quod pon-  
nas ante te ipsam, vade ad amicum tuum, imò ad  
Christum sponsum tuum, eumque non dormien-  
tem, sed te expectantem, & cupientem inuenies,  
cum eo misce orationis sanctæ colloquia, & pro-  
fundens lacrymas, ei vniuersas tuas infirmitates  
pande, desideria enarra, & necessitates expone,  
& sine dubio postulationes à te fusas exaudiet, &  
magnæ tuæ imbecillitati subueniet. Optat pius  
ac benignus sponsum tuum, vt hoc abditum cor

3. Reg. 4.  
23.

Bern. ser.  
in rogatio-  
nibus.

Isa. 46. 8.  
Psa. 10. 5.

Psa. 10. 5.

Laurent. Iust. lib. de humil. c. 5.

dis cubiculum ingrediatis, in quo solo tres prædictos panes, & denique pacem ipsam tam propriam tui status, assequeris. Hoc enim his verbis docuit Laurentius Iustinianus. Vult enim totius bonitatis Dominus infirmum hominem mortalis corporis pondere grauatum, iacentemque erigere, illuminare, allicere, terrere: vt redeat ad cor, inspiciat se, atque intelligat extra se nihil esse turum, nihilque liberum, sed cuncta esse laqueis plena, sollicitudinibus referta, vallata tribulationibus, permixta scâdalis, pacemque eundem non nisi in se posse percipere. Nam quamdiu vagatur extra se, tentatur, turbatur, decipitur, impellitur, deprædatur, vulneratur. Quod si, ô anima mea, nondum has tuæ internæ habitacionis delicias experta es, fac vt experiaris. Linque animo, quod professione reliquisti. Linque cõsanguineorum familiaritatem: eorum, aut prosperitates, aut aduersitates obliuiscere, quia cum mundo mortua sis, ad te non pertinent. Deferre amicos, confortia, honoris anxietatem, commoditatis sollicitudinem, ac omnium rerum temporalium memoriam. Collige te intra cor tuum, quare te ipsam intra te, & quæ extra te perdita eras, intrò te lucratam inuenies. Scrutare regnum Dei in corde tuo, quia regnum hoc intra te est. Inquite in hac aula interiori Deum tuum habitatorem eius, tene eum, ne dimittas, sicque omnia bona, quæ optas, eris assequuta. Væ tibi, cum hanc iucundissimam habitacionem derelinquis, quia luto & limo terrenarum cogitationum sordescis, & puritatem deseris, cuius causa in religionem venisti. Euenietque tibi illud, quod ait Hugo de sancto Victore, Cùmque anima elabatur ab istis, & inuoluitur in illis, vanitas illam recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia, sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, qui vnum Deum, (qui ei sufficere poterat) dimisit. Ne ergo in hæc mala incurras, & tam ingentia bona dilapides, ingredi in cor tuum, & dicetur de te: Quia grandis effecta es, & ingressa es.]

Hugo lib. de anim. c. 20.

Exech. 16. 7.

Quàm magna sit occasio puritatis cordis in vita religiosa.

CAPVT XVII.



**V**M anima in cor suum ad habitandum ingreditur, facile est illi vniuersa deponere, quæ eius pulchritudinem turpant; & omnia, quæ eam ornant, comparare. Sicut enim casta virguncula domi manens, & in texendis vestibus, & faciendis ornamentis sui corporis occupata, breui tempore multa parat in diem desponsationis suæ, quibus omnibus pulchra, & apprime culta videatur: Ita anima cubiculum proprii cordis ingressa, ibique non desidiola, sed officiosa manens, immensum virtutum & cœlestium donorum ornatum præparat, vt se ipsam oculis cœlestis sponsi pulchram, & amabilem offerat. Hoc autem est aliud religionis bonum, quod quietem & tranquillitatem cordis consequitur, de quo inquit Dominus, religiosam animam adhuc erudiens. Et peruenisti ad mundum muliebrem. Mundus muliebri, aut sponsæ ornamentum, quo anima tamquam sponsa Dei pulchra ornatur, atque excolitur, vt in eius purissimum lectum deferatur,

Exech. 16. 7.

**A** & od castissimos admittatur amplexus, puritas mentis est, quæ eam amabilem efficit, & Dei confortio atque conspectu dignam reddit. Nam sicut mundus feminarum est, quem ipsa omnibus præferunt, cuius causa die noctrique laborant, eoque decoræ, & amabiles apparent, & ad coniugium aptæ iudicantur: Ita mentis puritas est, quam præ omnibus cupere, & amare debemus, & nocte ac die iugiter pro ea adipiscenda laborare, tamquam pro vera pulchritudine, quæ Dei oculos capit, sanctissimumque cor eius nostri amore, succendit. Rectè enim dixit Leo Papa: Vniuersitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, vt eorum confortio mereatur adscribi, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Gregorius Nazianzenus, ait: Neque enim quicquam apud Deum, qui purus est, pluri habetur, quàm puritas, aut certè purgatio. Nec non & Augustinus: Munditiam vocat finem, quo perficimur, nõ quo consummamur. Hæc puritas est, quam Deus impensè amat, & in anima vehementer exquirat: quæ si desit, iniusta est illi, & detestabilis omnis nostra externa lauitia. Istam quærentes, illam verò non curantes, audiunt à Domino: Væ vobis hypocritæ, quia mundatis, quod foris est, calicis, & paropisdidis intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæ cæce, munda prius, quod intus est calicis, & paropisdidis, vt fiat id, quod de foris est mundum. Hæc puritate anima spõsum suum Deum tenet, nec dimittit, donec introducat eum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. Mater animæ gratia est, eam spiritualiter generans, nuticiens, docens, atque gubernans: Domus autem huius matris, fructus est actionis, & cubiculum genitricis, cor nostrum occupatum in opere contemplationis: spiritualis ergo munditia est, quæ animam in hoc cubiculum introducit, idoneamque reddit, vt cum sponso quiescat, & purissimo eius perfuatur amplexu. Quare optimè Venerabilis Richardus inquit: Gratia inuenitur Christus, sed munditia in hospitium cordis introducitur, iam animam visitauit, sed donec munda sit, non est digna, vt moram cum eo faciat. Ad hoc inuari se petit per orationis instantiam, dicens: Tenui eum, nec dimittam.

Leo, ser. 12. quadrag.

Matt. 5. 9. Nazia. ad Greg. Nys. ser. orat. in eius pro mot. ad E. p. scopati Aug. ser. 14. de sctis, tom. 10. Matt. 23. 25.

Cant. 3. 4.

Richar. in cant. c. 6.

**D** Merito itaque cordis puritas, quæ animam idoneam reddit ad diuinum consortium, mundus muliebri appellata est; sed ad istam munditiam, ac cordis puritatem, vbi anima meliùs, quàm in sancta religione perueniet? Religio, omnia remouet, quæ puritati aduersantur, & cor hominis sua vilitate commaculant. Hæc enim sunt, diuitia, delicia, & propria voluntas. Diuitiæ quidem animam nostrum insciunt, quia amor earum immoderatus virtutes omnes euertit, & omnium vitiorum immunditiam violentissimè inuehit. Vnde Chrysostomus inter alia multa, quæ in hoc argumentum congescit, illud constanter affirmat. Diuitias, non natura sua, sed hominum vitio, omnium bonorum materiam abscindere, & vniuersorum malorum fomitem ministrare. Non solum (inquit) nihil virtutis animo conferunt, sed etiam paratum aliquid, & reconditum inuenerint, subruunt: & econtrariò vitia pro virtutibus introducunt. Ipsarum enim pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, iniustitia, arrogantia, superbia, omnisque irrationalis motus. Quid quòd licet sine his peccatis à quibusdam possideantur, tamen sine nimio amore erga eas,

Chrys. hõ. 9. quod memo. 16. 5.